

## De *Coptolabro coelesti* Steuart.

auctore

Prof. Dr. **G. Hauser**, Erlangen.

---

Steuart \*) anno 1855 primus *Coptolabrum coelestem* descripsit. Haec descriptio fundata est in 2 ♂ solis, qui a M. Fortune in vicinis urbis Shanghai collecti sunt. Horum alter jam illo tempore in museo Britannico, alter in auctoris ipsius collectione erat. Itaque haec 2 specimina typi *Coptolabri coelestis* aestimanda sunt. Praeterea in museo Britannico compluria specimina sunt, quae paulo post etiam in vicinis urbis Shanghai a Lewis collecta et omni ratione typo memorato congruentia esse G. Arrow, vir scientiae entomologicae peritissimus, mihi scripsit.

Eadem forma cum coelesti typico congruens etiam in parte septentrionali provinciae Tschekiang invenitur. Reverendissimus Missionarius Apostolicus P. A. Buch, qui generosissimo modo in his studiis me adjuvabat et cui ex toto animo gratias agere vehementer desidero, magnam copiam *Coptolabri coelestis* speciminum quoque ad oppidum Yuyao collectorum mihi misit. Hoc oppidum circiter 60 km ab urbe Ning-Po in littoris parte mari erepta situm est. Bestiolae nostrae ibi praecipue sub virentium acervis mari aggestis inveniuntur, quae certe et animale materiam copiose continent. Praeterea sub lapidibus quoque et — quod notatu dignum est — in terrae hiatibus, ex quibus indigenae mensibus hibernis quoque filis ferreis curvatis educere eas sciunt, reperiuntur.

---

\*) Annal. de la Soc. Ent. de France III. Série, Tome III. 1855 p. 75. Pl. 7 No. 1.

Stett. entomol. Zeit. 1913.

*Copt. coelestem* ad oppidum Y u y a o collectum etiam cum forma typica omni ratione congruere G. A r r o w ex comparatione speciminis, quod una cum subspecie *Buchi* ei miseram, cum typo musei Britannici affirmavit: „The type specimen has a very close resemblance of the specimen from Y u y a o and the sculpture of the elytra is the same.“

Etiam prothoracis elytrorumque longitudo et latitudo etc omnino cum proportionibus formae ellipticae regionis Y u y a o secundum G. A r r o w i communicationes congruunt.

Specimina quoque in vicinis urbis S h a n g h a i a L e w i s collecta, quorum G. A r r o w nonnulla grato modo mihi concessit, profecto nullo modo a forma regionis Y u y a o discernenda sunt.

Quousque ad septentrionem et ad occidentem versus *Coptolabrus coelestis* pertineat ad hoc tempus ignoro. In museo Britannico specimen formae typicae simillimum est, notatione: „J a p a n , R i b b e 1878“ instructum. Sed haec notatio, quae a primo haud probabilis esse videbatur, re vera falsa est. Nam R i b b e junior nec se ipsum nec patrem suum unquam in J a p o n i a coleoptera collegisse mihi scripsit.

Ad meridiem versus *C. coelestis* per totas Chinae provincias T s c h e k i a n g et F o k i e n usque ad provinciam K w a n t u n g invenitur, in regionibus littoralibus quidem et in regionum interiorum clivis et montibus. Item certe in parte orientali provinciae K i a n g S i reperitur, sed hic modo in regionibus montuosis occurrere videtur.

Copia formarum et colorum varietas *Coptolabri coelestis* mirum in modum magnae sunt. Colorum varietas legibus quibusdam haud caret, cum certi colores in omnibus re-

gionum subspeciebus observentur. In omnibus subspeciebus, sicut in *Coptolabro Lafossei*, et formae ellipticae et fere parallelae et oviformes quoque occurrunt. Sed totus habitus, partium singularium proportiones, praecipue structura elytrorum subtilior in speciminibus ex aliis regionibus provenientibus adeo discrepant, ut complures subspecies bene fundatas discernere necesse sit. At enim haec subspecies eatenus haud acribus indiciis inter se differunt, ut in eadem regione una cum subspecie regioni propria formae intermediae et ancipites quoque haud raro occurrant.

Subspecierum *Coptolabri coelestis* certarum sola subsp. *giganteus*, proveniens ex provincia F o k i e n , a. P. B o r n , viro generis *Coptolabri* peritissimi, adhuc dignota est.

Sed non dubitandum est quin *Copt. Semenowi* M. D. \*) quoque, cujus typum A. B a n g - H a a s , vir scientiae entomologicae meritissimus, inspiciendi causa grato modo mihi miserat, solum forma *Coptolabri coelestis* sit. Immo vero veri simile esse videtur *Coptolabrum Semenowi* haud subspeciem regioni certae propriam et bene distinctam, sed solum specimen praecipue tuberculis primariis fortius evolutis subspeciei *Buchi* G. H., probabiliter in parte meridionali provinciae T s c h e k i a n g inventum, aestimandum esse. Item *Coptolabrum ducem* S e m. solum subspeciem *Coptolabri coelestis* esse puto. Nam ex ratione latissimae mutabilitatis et prothoracis et elytrorum structurae indicia a S e m e n o w data nullo modo sufficiunt, utique ex unici speciminis argumento, speciem propriam discernere.

Mutationes maxime insignes subspecierum *Coptolabri coelestis* ex partibus meridionalibus provinciae T s c h e k i a n g et ex provincia F o k i e n et ex aliis regionibus jam magis ad meridiem versus sitis provenientium sunt praecipue:

\*) Schweizer Ent. Ges. 1902.

Stett. entomol. Zeit. 1913.

statura gracilior, praeterea in formis montanis crebre elytrorum tubercula valde deplanata, prothoracis episterna fere semper magis minusve, crebre valde obscurata, haud raro etiam nigra, prothoracis episternorum rugae semper fere vel prorsus obsoletae.

Quoad affinitatem *Coptolabri coelestis* et *Lafossei* jam Steuart\*) *Coptolabrum coelestem* formam a *C. Lafossei* ad *C. smaragdinum* Fisch. transientem, sed *Coptolabro Lafossei* propinquiorem aestimavit et Chaudoir\*\*) scripsit: „Le *coelestis* n'étant pour moi qu'une magnifique variété du *Lafossei*...“

Re vera in provincia Tschekiang specimina *Coptolabri coelestis* occurrunt, quae recte et bene formae ad *Copt. Lafossei* transientes aestimari possunt. Fortasse *Copt. Lafossei* var. *euprepes* G. H. quoque talis forma intermedia aestimanda est. Attamen *C. Lafossei* et *coelestis* quoad et habitum et elytrorum structuram plerumque tantum discrepant, ut *C. coelestis* nullo modo — sicut *ab. Donckieri* Born vel aliae aberrationes — solum coloris aberratio *Coptolabri Lafossei* aestimari possit. Item non possum adduci ut putem *Coptolabrum Lafossei* formam typicam esse, ex qua *Copt. coelestis* eiusque subspecies exortae sint. Contra hanc conjectionem sine dubio est propagatio geographica *Coptolabri coelestis* et *Copt. Lafossei*. *Copt. Lafossei* habitat inprimis insulas Chusan, raro in continenti, hic solum in regione littorali angusta occurrit. *Copt. coelestis* autem subspecies per latitudinis gradus fere decem et per meridianos circiter duodecim pertinent, nunquam *Copt. coelestis*

---

\*) l. c.

\*\*) Bull. Mosc. XXXIV. I. p. 503.

Stett. entomol. Zeit. 1913.

in insulis Clusan inventus est. \*) Res difficillima ad credendum est a forma insulari omnes varias subspecies continentales exortas esse! — Atque colores *Coptolabri coelestis* Steuart indicare puto multo magis eum ipsum originem et *Coptolabri Lafossei* esse. Nam elytra viridia vel cuprea, prothorax rufo-aureus fere omnibus generis *Coptolabri*, speciebus praecipue propria sunt, sed specimina coerulea vel violacea multo rarius inveniuntur.

### **Coptolabrus coelestis** Steuart.

Steuart \*\*) *Coptolabrum coelestem* hoc modo descripsit:

„Oblongus, elongatus; capite thoraceque aureo-cupreis; elytris convexis, viridi-micantibus, aureo-marginatis, apice productis acutisque, punctis inaequalibus nigris elevatis, seriatim dispositis, ornatis.

Long. 35 à 40 mill.; larg. 12 à 13 mill.

Tête d'un cuivreux doré brillant, noire à sa partie antérieure, allongée, distinctement ponctuée, ayant entre les antennes deux impressions longitudinales et des petites rides irrégulières entre les yeux. Antennes noires à la base et brunes à l'extrémité. Palpes noires, leur dernier article fortement sécuriforme.

Corselet de la couleur de la tête, sensiblement plus large que long, dilaté et relevé latéralement, légèrement rebordé antérieurement, brusquement rétréci en arrière, à partir du milieu, presque parallèle dans sa partie postérieure; angles antérieures faiblement arrondis, les postérieurs très

\*) Reverendissimus Pater A. Buch scripsit mihi: „à ma connaissance le coelestis ne se trouve pas dans les îles Chusan; jamais je n'en ai vu et jamais on ne m'en a envoyé depuis 7 ans que je m'amuse à récolter des insectes. — Par contre le Lafossei m'a été une fois apporté du côté de Yuyao, sur le continent en 12 ou 15 exemplaires.“

\*\*) l. c.

peu prolongés en arrière et arrondis; ponctuation serrée, entremêlée de petites rides irrégulières qui le font paraître finement rugueux; ligne médiane à peine distincte; une impression légère de chaque côté de la base, près des angles postérieurs.

Écusson noir, court, en triangle très élargé a la base, lisse, avec quelques rides très faiblement marquées.

Élytres d'un vert bronzé brillant qui devient d'un cuivreux doré très éclatant le long des bords latéraux; ceux-ci sont un peu relevés en gouttières; assez régulièrement ovales, un peu parallèles et légèrement élargies antérieurement; chaque élytre est prolongée en une petite pointe aiguë un peu relevée et tournée en dehors; convexes, entièrement couvertes de petites aspérités irrégulières, confluentes et lisses; sur chacune sept rangées longitudinales de tubercules oblongs, noirs, lisses et brillants, ceux des deuxième, quatrième et sixième, plus gros, plus allongés et plus saillants; ceux des premières, troisième, cinquième et septième beaucoup moins appants.

Dessous du corselet et portion réfléchie des élytres broncés. Abdomen et pattes noires.

Cette belle espèce semble faire le passage entre le *C. Lafossei* F e i s t h. et le *C. smaragdinus* F i s c h., quoique à vrai dire elle se rapproche beaucoup plus de la première pour la forme; elle en a aussi à peu près la taille.

Nous ne connaissons jusqu'ici que 2 exemplaires mâles de ce magnifique Carabe, recueillis dans les environs de Shang-Haï, par M. F o r t u n e , l'un qui fait partie de la Collection du Musée Britannique, l'autre dans notre collection."

Haec descriptio ex argumento permagni speciminum numeri his indiciis supplenda est.

Forma et statura *C. Lafossei* Feisth. similis, sed plerumque robustior, latior, saepe minus convexus, elytrorum lateribus magis parallelis, humeris magis evolutis.

♂. *Capite* et *prothrace* laete aureo-rufis vel rufo-aureis vel saturate purpureis, capite praecipue antice crebre partim viridi-aeneo, rarius, macula frontali rufo-aurea excepta, toto viridi-aeneo. *Prothoracis* lateribus medio semper manifeste, saepe acute angulatim dilatatis (plerumque 1,3: 1, perraro 1,1: 1), deinde plerumque sat fortiter sinuatis, perraro usque ad angulos posticos rectis; angulis posticis rotundatis, leviter retrorsum porrectis, saepe leviter divergentibus, rarissime manifeste convergentibus; lateribus antrosum semper manifeste, sed plerumque minus quam in subsp. *Lafossei* rotundate angustatis, angulis anticis leviter obtusis plerumque a capite late distantibus; disco sat fortiter reticulatim, medio manifeste transversim rugoso, rugis medio saepe nigris et valde confertis, obscuracionem disci efficientibus; linea media plerumque valde perspicua, saepe sat profunda, rarius haud manifesta; foveolis basalibus plerumque impressione transversa inter se conjunctis.

*Elytris* nitidis, laete aureo-viridibus vel minus nitidis, perviridibus, limbo in speciminibus clarioribus aureo, in speciminibus perviridibus saturate aureo-rufo vel fere purpureo, semper valde fulgenti; dorso crebre leviter deplanatis, longitudinaliter fere non convexis, longius pone medium sat abrupte declivibus, lateribus plerumque fere parallelis, humeris valde evolutis, multo rarius lateribus regulariter ellipticis humerisque magis reductis; mucrone semper sat longo, acuto, sursum reflexo, bicuspidato.

Lumine a fronte incidente capite, prothorace elytrorumque limbo saturate viridi-aureo-, elytris coeruleo-micantibus.

Tuberculis primariis nigris, mediocribus, sat fortiter convexis, costulis aureo-viridibus inter se conjunctis,

numerosis vel minus numerosis, subrotundis vel elongato-ellipticis vel valde elongatis, costas interruptas formantibus; tuberculis secundariis nigris, parvis, creberrimis, rotundis vel subrotundis, rarius costas interruptas, semper series rectas formantibus; tuberculis tertiariis minimis, partim nigris partim viridi-aeneo-micantibus, interdum solum juxta suturam lineam rectam formantibus, in interstitiis plerumque non manifestis vel tuberculis primariis et secundariis conjunctis; superficie subtiliter sed valde distincte et confertissime rugoso-granulato, granulis minimis, viridi-aeneis, nitidis vel subnitidis, irregulariter dispersis, crebre inter se et tuberculis tertiariis conjunctis, interdum rugulas breves transversales formantibus.

S u b t u s niger, prothoracis, mesothoracis, metathoracis episternis copiose, elytrorum epipleuris magis minusve profunde punctatis, prothoracis episternis antice sat fortiter ruguloso-punctatis, prothoracis episternis et epipleuris elytrorumque epipleuris semper totis, mesothoracis episternis etiam totis vel solum antice viridi-aeneis vel rufo-cupreis, lucidis; sterno nigro, nitido, plerumque viridi-aeneo (vel aureo)-micanti, rarius toto nigro sine nitore metallico, crebre et gula magis minusve viridi micanti; coxis anticis et posticis aureo-cupreo marginatis; abdominis lateribus profunde ♀ (interdum aureo-cupreo-) rugoso-punctatis. A n t e n n i s medium individui fere attingentibus (1:2,1).

P e d i b u s nigris, longis, pedibus posticis longitudine totius individui 1,16 brevioribus, sat fortibus, femoribus posticis medium abdominis segmenti penultimi plerumque superantibus, tibiis longitudine femorum, sulco dorsali plerumque profundo, tarsis tibiis brevioribus, tarsis anticis valde dilatatis.



Longitudo 33—40,8 mm, latitudo 11,5—14 mm.

♀. Plerumque major et latior, interdum prothorace elytrisque latissimis, elytris crebre paulo magis ellipticis, paulo minus convexis; antennis pedibusque brevioribus, femoribus posticis medium abdominis segmenti penultimi attingentibus. —

Expresse praedicatum sit structuram elytrorum superficii in ♀ eandem esse ut in ♂. Hac proprietate *Copt. coelestis* valde discrepat a *Copt. Lafossei*, in qua subspecie ♂ et ♀ quoad elytrorum superficii structuram plerumque manifeste inter se differunt.

Longitudo 37—44 mm, latitudo 14—17 mm.

**Coptolabus coelestis ab. aureseens G. H.** Coleopteris viridi-aureis, limbo latius rufo-cupreo, prothoracis episternis aureo-cupreis. Yuyao.

**Copt. coelestis ab. azureseens G. H.** Capite aureo-virescenti, leviter obscurato, sulcis frontilibus et fronte interdum aureo-cupreis. Prothorace disco magis minusve aureo-virescenti, marginibus aureo-cupreis, lumine a fronte incidente toto smaragdino. Coleopteris viridi-coeruleis, lumine a fronte incidente saturate coeruleis vel violaceo-coeruleis, ad basin et ad limbum laete viridi-aeneis, limbo viridi-aureo vel cupreo-aureo. Prothoracis episternis viridi-vel cupreo-aureis, sterno valde viridi-micanti, mesothoracis episternis elytrorumque epipleuris viridi-aureis; rarius prothoracis episternis elytrorumque epipleuris viridi-coeruleis, prothoracis epipleuris et mesothoracis episternis violaceis.

Aberratio rara. Yuyao.

**Copt. coelestis ab. obscuratus G. H.** Capite et prothorace obscure cupreis, coleopteris obscure viridibus, solum ad basin et ad limbum laetius aureo-viridibus, limbo viridi-vel rufo-aeneo, lucido. Prothoracis episternis cupreo-aureis, mesothoracis episternis, elytrorumque epipleuris viridi-aeneis, sterno viridi-vel aureo micanti. Raro prothoracis lateribus prothoracis et mesothoracis episternis elytrorumque epipleuris viridi-aeneis, epipleuris prothoracis coeruleis, sterno viridi- et violaceo-micanti. Yuyao.

**Copt. coelestis ab. nigreseens G. H.** Capite et prothorace perobscure cupreis interdum disco nigrescenti; coleopteris obscure viridinigris vel fere nigris, solum ad basin, ad humeros, ad apicem, rarius etiam ad limbum laetius viridi-aeneis, rarius aureo-

cupreis, limbo angustiore, aureo-cupreo vel viridiaeneo, paulo minus fulgenti quam in forma typica. Prothoracis episternis aureo-cupreis, fulgidis, mesothoracis episternis, prothoracis elytrorumque epipleuris viridi-aeneis vel aureo-cupreis, sterno viridi-micanti.

Aberratio haud perrara. Yuyao.

**Copt. coelestis ab. viridicellis G. H.** Capite et prothorace totis viridibus vel totis obscure viridibus, haud raro marginibus foveolisque ad angulos posticos violaceis; coleopteris subnitidis obscure coeruleo-viridibus, lumine a fronte incidente saturate coeruleis, humeris raro clarioribus, limbo lucidiore, plerumque aureo-viridi, rarius viridi-coeruleo, ad humeros interdum violaceo. Prothoracis episternis et epipleuris lucidis, viridi-coeruleis vel viridibus, rarius coeruleis, epipleuris violaceis, mesothoracis epipleuris obscure coeruleo-viridibus vel coeruleis vel fere nigris, elytrorum epipleuris viridibus vel coeruleo-viridibus, antice interdum laete violaceis, episterno nigro, nitido, rarius viridi-vel laete coeruleo-micanti. Aberratio rara. Yuyao.

**Copt. coelestis ab. coeruleipennis G. H.** Ab. viridicollis similis, sed capite et prothorace lactius viridibus, coleopteris coeruleis, humeris interdum violaceis, limbo violaceo vel viridi; prothoracis episternis lucidis, coeruleis vel violaceis, raro aureo-viridibus, mesothoracis episternis minus lucidis; elytrorum epipleuris coeruleis vel violaceis, raro coeruleo viridibus; sterno nigro, nitido, interdum violaceo vel viridi-coeruleo-micanti.

Aberratio perrara.

**Copt. coelestis ab. smaragdulus G. H.** Ab. viridicollis similis, sed totus laete viridis.

Ab. perrara. Yuyao.

### **Coptolabrus coelestis** subsp. **Buchi** G. H.

Haec subspecies a forma typica his proprietatibus differt: Gracilior et multo nitidior. Prothorax plerumque fulgidior, angustior, longitudine sua plerumque 1,1 latior, perraro longitudinis latitudine, medio (perraro ante medium) fortiter (perraro paulum) angulatum vel subangulatum vel fere rotundate dilatatus, lateribus antrorsum vel manifeste rotundate vel simpliciter angustatis, retrorsum magis minusve sinuatis, foveolis ad angulos posticos plerumque sat profundis (perraro

obsoletis), impressione transversa plerumque profunda inter se conjunctis. Coleoptera convexiora, pernitida, laete aureo-smaragdina, limbo rufo-aureo, vel aureo, fortiter crenulato, fulgidissimo, lateribus plerumque magis ellipticis (raro fere parallelis humerisque magis evolutis); tuberculis primariis plerumque fortiter convexis, nigris, nitidis, his seriei 1. et 2. crebrius valde elongatis, costas interruptas formantibus (in specimine uno collectionis meae tubercula primaria seriei primae elytri sinistri omnia in unam costam crassam et integram confusa sunt); tuberculis secundariis nigris, nitidis, minoribus, crebre valde numerosis, minimis, interdum, praecipue seriei primae, fortioribus, plerumque lineas rectas, rarius hic illic leviter flexuosas, tubercula primaria sequentes formantibus; tuberculis tertiariis minimis, nigris vel aureo-smaragdinis, plerumque cum tuberculis primariis granulisque superficiei confusis, raro hic-illic series breves distinctas formantibus, superficie multo minus copiose granulata, nitidiore, granulis crebre valde obtusis et confluentibus.

Prothoracis episterna antice minus ruguloso-punctata, sternum crebre laete viridi aeneum.

Antennae et pedes longiores, antennae in ♂ medium totius individui superantes, femora postica medium abdominis segmenti penultimi semper attingentia, crebre valde superantia, tarsi tibiis paulo breviores, raro tibiis longitudinem attingentes, tarsi antici in ♂ plerumque minus dilatati quam in forma typica.

Occurrunt specimina huius varietatis tam angustata et gracilia, ut quoad staturam omni ratione (forma gracilis). *C. subsp. giganteo* *Boru* similia sint.

Long. ♂ 33,5—46 mm, ♀ 37—48 mm.

Lat. ♂ 11,5—14 mm, ♀ 13—17 mm.

Prov. Tschekiang, ad urb. Wenchow et Haimen.

**Copt. coelestis var. Buchi ab. auratus G. H.** Capite et prothorace rufo-aureis, (raro capite viridi-aureo); coleopteris viridi-aureis vel fere aureis, ad humeros et ad basin lucidioribus, limbo rufo-aureo. Lumine a fronte incidente capite, prothorace, elytrorumque limbo viridi-aureis, coleopteris paulum cyanescentibus, raro prothorace leviter cuprescenti, coleopteris viridi-aeneis, limbo rufo-cupreo. Prothoracis episternis epipleurisque rufo-aureis, mesothoracis episternis plerumque aureo-viridibus, elytrorum epipleuris rufo-aureis, sterno et gula viridi-aureo relucentibus. Wenchow, Haimen.

**Copt. coelestis var. Buchi ab. holochlorus G. H.** Differt a forma typica capite, prothorace, limbo et epipleuris elytrorum, prothoracis et mesothoracis episternis, prothoracis epipleuris laete aureo-viridibus.

Ab. perrara. Wenchow, Haimen.

**Copt. coelestis var. Buchi ab. perviridis G. H.** Capite et prothorace sat obscure aureo-viridibus, capite interdum leviter cupreo aenescenti; coleopteris obscure viridibus vel obscure coeruleo-viridibus, ad humeros et ad basin clarioribus, lucidioribus, limbo aureo-viridi. Prothoracis episternis aureis, rarius aureo-viridibus, mesothoracis episternis, prothoracis elytrorumque epipleuris aureo-viridibus, sterno nitido, nigro vel magis minusve aureo-viridi-relucenti.

5 ♀ i. c. mea. Haimen, Wenchow.

**Copt. coelestis var. Buchi ab. coeruleseus G. H.** Differt a forma typica coleopteris ad omnem luminis sedem viridi-coeruleis, lumine a fronte incidente saturate coeruleis, capite, prothorace, limbo elytrorum aureo-viridibus.

**subsp. Buchi ab. cyanopterus G. H.** Capite, prothorace, limbo scapulisque elytrorum aureo-viridibus, coleopteris coeruleis. Prothoracis et mesothoracis episternis, prothoracis elytrorumque epipleuris aureo-viridibus, sterno laete aureo-viridi-relucenti.

♂ unicum in c. mea. Haimen.

**subsp. Buchi ab. hebes G. H.** Capite, prothorace, elytrorumque limbo sat obscure cupreis, minus fulgidis, coleopteris obscure coeruleo viridibus vel obscure sordideque aeneo-viridibus, minus nitidis, scapulis lucidis, aureo-viridibus, limbo ad scapulam interdum rufo-aureo. Subtus sicut in forma typica.

Omnium aberrationum creberrima. Haimen, Wenchow.

**subsp. Buchi ab. nigripennis G. H.** Capite, prothorace valde obscure cupreis vel viridi-aeneis, nigrescentibus, coleopteris fere nigris vel nigris, solum lateribus scapulisque vel solum

scapulis viridi-aeneis vel cupreis, lucidioribus, limbo angusto, viridi-aeneo, vel cuprescenti vel fere nigro, virescenti. Subtus atque in speciminibus coleopteris totis nigris sicut in forma typica prothoracis et mesothoracis episternis laete rufo-(vel viridi)-aureis, prothoracis elytrorumque epipleuris viridi-aureis (vel rufo-aureis), lucidis, sterno plerumque viridi-aureo relucenti.

Ab. sat rara, specimina coleopteris totis nigris perrara. Wenchow, Haimen.

**subsp. Buchi ab. holomelas G. H.** Totus niger, nitidus, atque subtus sine ullo colore neque nitore metallico.

♂ unicum i. e. mea. Haimen.

### **Coptolabrus coelestis subsp. montanus G. H.**

Forma et statura subsp. *Buchi* similis, sed differt his proprietatibus:

Prothorax crebrius subangulatim vel rotundate dilatatus. Coleoptera minus nitida, interdum fere opaca, lateribus vix clariora et nitidiora, ad basin et ad humeros magis nitentia, plerumque, praecipue in ♀, minus convexa, magis rotundato-dilatata, interdum leviter oviformia, raro parallela humerisque magis evolutis, limbo angustiore, viridi-aureo vel aureo-cupreo; tuberculis primariis minoribus, plerumque minus convexis, saepius deplanatis, rotundis vel subrotundis vel lacrimiformibus vel elongatis, haud numerosis (8) vel numerosis (14), interdum confluentibus; tuberculis secundariis plerumque perparvis, creberrimis, interdum lineas manifeste flexuosas, tubercula primaria sequentes efficientibus; tuberculis tertiariis minimis, nigris vel viridibus, plerumque cum tuberculis primariis conjunctis vel irregulariter dispersis vel lineas flexuosas et perspicuas, tubercula primaria sequentes formantibus; superficie sat copiose granulata (similiter ut in forma typica), granulis perspicue distinctis.

Prothoracis episterna minus nitida, plerumque valde obscurata, solum parte anteriore et superiore obscure et opace cuprea, haud raro tota nigra, opaca, multo minus rugulosa, plerumque solum simpliciter, antice sat confertim, postice sparsim cupreo-vel viridi-aeneo punctata, interdum fere impunctata; prothoracis epipleurae fere semper nigrae; sternum fere semper nigrum, nitidum, rarius violaceo-micans, mesothoracis et metathoracis episterna fere semper tota nigra, sparsim punctata, perraro mesothoracis episterna partim cupreata, elytrorum epipleurae plerumque viridi-aureae, rarius aureo-cupreae.

Longitudo ♂ 34—42 mm, ♀ 37—46 mm.

Lat. ♂ 12—14 mm, ♀ 13—17 mm.

12 ♂ 17 ♀ i. c. m.

Habitat Chinae provinciam Kiangsi: (Heou-Leang, King-te-tchen, Chang-tsin-cheng).

Subsp. *montanus* differt a *C. duce* Sem. prothoracis lateribus ad apicem versus semper manifeste, plerumque valde rotundatis, disco haud minus confertim rugoso-punctulato, impressionibus ad angulos posticos plerumque sat profundis, haud raro perprofundis; elytrorum superficie nec copiosius nec crassius (potius subtilius) quam in forma typica granulata; tibiis posticis sulco fere semper manifesto, plerumque profundo, rarius longitudinaliter strigulosis, perraro sulco omnino destitutis.

**subsp. *montanus* ab. *pervirens* G. H.** Capite et prothorace aureo-purpureis, coleopteris minus nitidis, saturate perviridibus fortiter coerulescentibus, lateribus laete aureo-viridibus, splendidis, ad basin fortiter aureo-lucidis, limbo humerisque rufo-aureis, lucidis.

Ab. rara. Kwei-ki.

Stett. entomol. Zeit. 1913.

**subsp. montanos ab. lampros G. H.** Capite et prothorace rufo-aureis, coleopteris laete aureo-viridibus, lateribus aureis, limbo rufo-aureo. Tuberculis primariis et secundariis ad basin late rufo-aureo et aureo marginatis, fulgidis, numerosis tuberculis tertiariis etiam aureo-micantibus, qua re totis coleopteris mirum in modum fulgentibus. Prothoracis episternis obscure purpureo-reluentibus, subnitidis.

Ab. magnificentissima. 1 ♀ i. c. Ertl. Kiang-Si.

**Coptolabrus coelestis subsp. giganteus** Born.

(Verhandl. der K. K. Zool. Bot. Gesellsch. in Wien 1899.)

P. BORN hanc subspeciem hoc modo descripsit:

„Diese neue Varietät unterscheidet sich von der var. *coelestis* Tatum des *Copt. Lafossei* durch ihre Größe, ihre schlankere Gestalt und schmälere Halsschild. Die kleinsten Exemplare messen 38 mm, die größten dagegen volle 50 mm. Es ist weitaus der größte aller *Coptolabrus*.

Die Sculptur der Flügeldecken ist sehr variabel. Bei den meisten Exemplaren sind die primären Tuberkel sehr groß und stark erhaben und die secundären ziemlich klein, bei einigen Stücken aber die secundären den primären nicht sehr viel nachstehend, so daß die Flügeldecken sieben fast egale Reihen zeigen, deren einzelne Tuberkeln bei einem Stück dicht gedrängt aufeinander folgen, während sie bei anderen Exemplaren weiter voneinander entfernt sind. Diese Tuberkeln, namentlich die primären, sind meistens länglich, hier und da aber kürzer und bei einem Stück sogar kreisrund.

Ungemein verschieden ist auch die Färbung dieses prachtvollen Käfers. Die meisten Exemplare sind leuchtend smaragdgrün, wie der typische *coelestis*, bei zwei Exemplaren aber hell goldgrün, bei drei anderen dunkelgrün und bei einem beinahe schwarz. Der Thorax ist meistens prächtig rotgolden, bei den dunkleren Exemplaren aber mehr kupferig und bei dem schwärzlichen ebenfalls fast schwarz.

Der Seitenrand der Flügeldecken erglänzt meistens golden, mit einem schmalen feuerroten Abschluß nach außen, bei dem schwärzlichen aber nur schwach grüngolden wie der Rand des Thorax und bei dem dunkelgrünen Exemplar mehr kupferig. Der Kopf ist vorwiegend grün, wie die Flügeldecken, bei dem dunkleren Exemplar mehr schwärzlich.

Fundort: Die Gebirge der Provinz Fokien in China.

Material: 11 Exemplare von Herrn G. Meyer-Darcis zur Einsicht erhalten.“

---

Ex argumento permagni speciminum numeri haec descriptio his indiciis supplenda est:

C a p u t fulgidum, rufo-aureum (haud raro sulcis frontilibus aureo-viridibus), rarius aureum vel viridi-aureum. P a l p a e sic-ut in *coelesti*, a n t e n n a e longae, in ♂ medium totius individui attingentes, in ♀ plerumque paulo breviores. P r o t h o r a x fulgidus, ad omnem luminis sedem rufo-cupreus (vel rufo-aureus, lumine a fronte incidente viridi-aureus), angustior quam in forma typica *C. coelestis*, similiter ac in subsp. *Buchi* formatus, summa longitudine 1,1 latiore, lateribus explanatis, angulatim vel subangulatim, rarius fere rotundate dilatatis, antrorsum plerumque rotundate, rarius fere recte angustatis, retrorsum plerumque fortius quam in forma typica, interdum fortissime sinuatis, et angustatis (summa latitudine angustatis 1,3 latiore), nigro- vel cupreo-callosomarginatis, margine antico leviter sinuato vel fere recto, nigro-callosomarginatis, angulis anticis apice magis minusve rotundatis, a capite plerumque sat late (raro non) distantibus, angulis posticis lobuliformibus, apice rotundatis vel subacutis, retrorsum paulum, rarius haud productis, leviter declivibus, extrorsum fere semper magis minusve divergentibus, rarius fere recte prominulis; foveis ante lobulos saepe haud perspicuis, sed



interdum magnis et valde profundis, impressione transversa ante marginem anticum semper manifesta, interdum perprofunda; disco crassius quam in *coelesti* rugoso, convexiore, pone marginem anticum interdum impressione triangulari manifesta, linea media fere semper perspicua, interdum valde profunda, perraro fere obsoleta.

Coleoptera laete et saturate smaragdino-viridia, haud nitida sed serico-micantia vel fere opaca, rarius subnitida, valde elongato-elliptica, angustiora, valde convexa, ante apicem levissime sinuata, mucronata, mucrone longo, bicuspidato, magis minusve, interdum fortiter sursum reflexo, scapulis rufo-vel viridi-aeneis, fulgidissimis, non productis (rarius coleoptera fere parallela, scapulis magis evolutis, perraro coleoptera ovi-formia, postice valde dilatata), limbo latiore quam in *coelesti*, horizontaliter explanato, fortissime crenulato, rufo-vel viridi-aureo, fulgidissimo, ad apicem versus attenuato, minus fulgenti; tuberculis primariis plerumque valde convexis (interdum leviter, perraro fortius deplanatis), magnis (rarius sat parvis), plerumque elongatis, rarius perlongis, limites interruptos efficientibus, fere semper costulis viridibus perspicuis inter se copulatis; tuberculis secundariis nigris (seriei IV. plerumque viridibus), plerumque valde numerosis et multo minoribus, saepe perparvis, rarius sat magnis, plerumque rotundis vel subrotundis, rarius elongatis, fere semper lineas rectas (perraro leviter flexuosas) formantibus; tuberculis tertiariis nigris (partim viridibus), minimis, sed plerumque perspicuis, lineas manifestas, tubercula primaria sequentes formantibus, his haud raro hic illic confluentibus; superficie sat confertim rugoso-granulata, granulis minimis, supra limbo lacte viridi-aureo-vel aureo-fulgenti.

Subtus niger, prothoracis episterna plerumque simpliciter et subtiliter antice

parce vel parcissime cupreo-vel viridi-aeneo punctata et parce obsolete rugulosa vel solum aciculata, postice laevia vel omnino impunctata et fere laevia, rarius magis confertim punctata, perraro subrugulosa, fere semper obscurata, subopaca, saepe tota nigra, plerumque antice et ad marginem superiorem ad certum luminis sedem viridi-aureo-, rarius cupreo- vel aureo- vel violaceo- vel viridi- et violaceo magis minusve vel minime micantia; prothoracis epipleurae semper nigrae, sternum totum nigrum, nitidius, plerumque eisdem coloribus micans; mesothoracis et metathoracis episterna nigra, subopaca, laevia, elytrorum epipleurae aureo-viridia vel aurea, rarius aureo-cuprea vel aurea et violaceo-cuprea; coxae saepe cupreo- vel viridi-aeneo cingulatae.

Pedes perlongi, graciles, in ♀ paulo fortiores, pedes postici circiter longitudine totius individui, femora in ♂ plerumque medium abdominis segmenti penultimi valde superantia, in ♀ semper attingentia, tibiae femoribus paulo longiores, sulco dorsali plerumque profundo, tarsi plerumque tibiis paulo breviores, rarius longiores, in ♂ tarsi antici valde dilatati.

Longitudo ♂ 37—49 mm, ♀ 37—55 mm.

Latitudo ♂ 12—16 mm, ♀ 13—17,5 mm.

Forma typica *gigantei* differt a *montano*: magnitudine (crebris speciminibus magnitudinem ingentem attingentibus), statura jam graciliore, prothoracis lateribus postice profundius sinuatis, elytris opacis, tuberculis primariis maioribus et convexioribus, pedibus longioribus.

(♂ gracillimus collectionis meae longitudine 45 mm solum latitudinem 13 mm habet.)

*C. coelestis* subsp. *giganteus* B o r n habitat praecipue

Chinae provinciam Fokien, ubi in montium declivitatibus in viis occurrit; haud raro et in montibus partis orientalis provinciae Kiang-Si (ad urbes Kwei-Ki et Chang-tsin-scheng) invenitur, sed huius regionis individua multo minora sunt ( $\sigma$  33,5—41,  $\varphi$  37—41 mm), interdum disco prothoracis multo subtilius ruguloso (var. **Scialdonei** G. H.).

**subsp. giganteus ab. prasinus G. H.** Capite et prothorace ad omnem luminis situm viridis-aureis, coleopteris smaragdinis, subnitidis, lateribus, humeris limboque laetius viridibus, fulgentibus. Subtus totus niger, elytrorum epipleuris solis viridi-aureis.

Ab. perrara,  $\sigma$   $\varphi$  i. c. mea. Montes ad urbem Yen-pin-fu prov. Fokien.

**subsp. giganteus ab. saturatus G. H.** Formae typicae similis sed coleopteris obscure perviridibus.

Ab. crebra. Yun-ling-schan, Yen-pin-fu.

**subsp. giganteus ab. Dauverchani G. H.** Capite et prothorace rufo-aureis, coleopteris viridibus, serico-micantibus, dorso fortiter coerulescentibus, lateribus humerisque laete aureo-viridibus, nitidis, limbo viridi-aureo et aureo et rufo-aureo fulgenti. Lumine a fronte incidente capite et prothorace viridi-aureis, coleopteris totis saturate azureis, limbo aureo-viridi. Subtus totus niger, elytrorum epipleuris solis aureo-viridibus.

Ab. rara. Yun-ling-schan.

**subsp. giganteus ab. coeruleatus G. H.** Capite et prothorace aureo-cupreis, prothorace ante marginem posticum aureo; coleopteris haud metallicis, subnitidis, ad omnem luminis sedem saturate obscure coeruleis, lateribus, basi humerisque viridi-aureo-fulgentibus, limbo viridi-aureo, fulgido, rufo-aureo-relucenti. Subtus totus niger, elytrorum epipleuris solis aureo-viridibus.

1  $\sigma$  in c. mea. Yun-ling-schan.

**subsp. giganteus ab. ochraceus G. H.** Capite et prothorace aureo-rufis vel rufo-aureis, coleopteris ochraceis (praecipue lumine a latere incidente), lumine a fronte incidente viridibus, serico-micantibus, limbo humerisque rufo-aureis vel aureis (rarius viridi-aureis), fulgidis. Subtus niger, prothoracis episternis nigris vel leviter obscure cupreo-rarius viridi-aeneo micantibus, elytrorum epipleuris viridi-aureis vel rufo-aureis vel viridi-et rufo-aureis.

Ab. sat rara. Yun-ling-schan, Yen-pin-fu.

**subsp. giganteus ab. Valenciae G. H.** Ab. *ochraceo* similis, sed tuberculis primariis sicut in subsp. *montanus ab. lampros* ad basin late aureo-vel rufo-aureo fulgentibus (tuberculis secundariis et tertiariis nigris).

1 ♂ 1 ♀ in c. mea. Yen-pin-fu.

Reverendissimo Patri Francisco Valencia, cui hanc Aberrationem magnificam debeo, dedicatus.

**subsp. giganteus ab. cyanescens G. H.** Capite et prothorace viridi-aureis, magis minusve cupresentibus, coleopteris cyaneo-viridibus, limbo humerisque aureis vel viridi-aureis, limbo interdum hic illic rufo-aureo; lumine a fronte incidente capite, prothorace, limbo humerisque laete aureo-smaragdinis, limbo humerisque fulgidissimis. Subtus plerumque totus niger, elytrorum epipleuris aureo-smaragdinis, raro prothoracis episternis leviter viridi-micantibus.

Ab. sat rara. Yun-ling-schan.

**subsp. giganteus ab. olivaceus G. H.** Capite et prothorace cupreis, prothorace disco crebre magis minusve nigro, nitido, rugis obsoletis; coleopteris obscure olivaceis, lateribus plerumque laete viridibus, limbo scapulisque aureis, fulgidis, externe cupreo-relucentibus; subtus niger, prothoracis episternis nigris vel paulum viridi-vel cupreo-micantibus, elytrorum epipleuris aureis vel aureo-cupreis vel aureo-viridibus.

Ab. non rara. Yun-ling-schan, Yen-pin-fu.

**subsp. giganteus ab. atratus G. H.** Capite et prothorace rufo-cupreis vel cupreis vel viridi-aeneis, prothoracis disco fere semper rugis magis minusve obsoletis, haud raro glabro, fere semper nigrescenti vel nigro; coleopteris subnitidis, fere nigris, paulum virescentibus vel fere totis nigris, lateribus crebre obscure, rarius sat laete viridibus, limbo scapulisque plerumque viridi-aureis, rarius rufo-cupreis, scapulis lucidioribus, limbo angusto. Subtus plerumque totus niger, solum elytrorum epipleuris plerumque viridi-aureis; rarius antice rufo-aureis, postice viridi-aureis.

Ab. sat rara. Yun-ling-schan, Yen-pin-fu.

**subsp. giganteus ab. ornatcollis G. H.** Formae typicae subsp. *gigantei* omni ratione similis sed prothoracis et mesothoracis episternis sicut in *C. coelesti* rufo-aureis, fulgidis (reditus ad atavorum proprietatem).

1 ♂, 1 ♀ ex montibus Yun-ling-schan. 1 ♂ ex prov. Kwantung in Museo Britannico.

**subsp. Scialdonei ab. pullus G. H.** Capite et prothorace obscure aeneis, prothoracis angulis anticis viridibus, coleopteris obscure viridibus, fere nigris; lateribus humerisque paulo laetius viridibus, sat lucidis, limbo angusto, aureo-viridi, ad certum

Stett. entomol. Zeit. 1913.

luminis sedem praecipue ad humeros rufo-aureo; subtus niger, elytrorum epipleuris rufo-aureis.

1 ♂ in c. mea. Chang-tsin-cheng.

**subsp. Scialdonei ab. Hephaestus G. H.** Totus niger, solum limbo obscure coeruleo-viridi-aeneo, ad certum luminis sedem cupresenti, elytrorum epipleuris obscure cupreis.

1 ♂ in c. mea. Chang-tsin-cheng.

Denique officium jucundum cordi mihi est et aliis illis viris, qui tanta opera et tanta liberalitate in his studiis me adjuvabant, Missionariis Apostolicis, Rev. Patribus L. Scialdone, G. Thieffry, Fr. Valencia, Rev. Missionario Chinesi Th. Chang, haud minus provinciae Kiang-Si Venerabili Provicario Apostolico Dauverchain, qui etiam studiosissime contentionibus meis adjumentum attulit, toto ex animo gratias agere et habere.

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Entomologische Zeitung Stettin](#)

Jahr/Year: 1913

Band/Volume: [74](#)

Autor(en)/Author(s): Hauser Gustav

Artikel/Article: [De Coptolabro coelesti steuart. 295-315](#)